



1579 + 1580

90/

46  
DE  
DEO TRINUNO  
THESES,

*Quas*  
ipsius auspicio

PRÆSIDE  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO ET  
EXCELLENTISSIMO

DN. IOHANNE MVSÆO,  
SS. THEOL. D. ET IN ALMA HAC SALANA PP.  
VNIVERSITATIS h. t. RECTORE ET SVÆ  
FACVLT. DECANO,

DOMINO AC PRÆCEPTORE  
SVO ÆTATEM DEVENERANDO,

*placide ventilationi submittit*  
M. PAVLVS WEBERVS  
NORIMBERGENS.

Ad D. JANUAR. MDCXLVII.

---

J E N Æ,  
Typis PAVLI EHRICHII, 1713.

DE  
DEO TRINUNO  
THESES

Qua  
ipsum auctoris

VIRO PRRIMUM REVERENDO ET  
EXCELLENTISSIMO

DM. JOHANNI M. S. E. O.

SS. THOL. D. ET IN ALIA HAC SALANA TR.

VNIVERSITATIS A. A. PECTORE ET SVR.

FACTI. DECANO.

DOMINO AC PRACEPTORE

SVO STATIM DEVENERENDO,

M. PAVLVS WEBERVS

NORIMBERGENS.

ANNO R. MDCCLXXII

PAVL. WEBERVS





## DE DEO TRINUNO.

THES. I.



DEI nomine ex usu loquendi nihil significatur aliud, quàm *Ens quoddam nobilissimum & primum, à quo cetera omnia dependent & gubernantur.*

II. *Tale aliquod Ens dari, testimonio est non solum aspectabilis hic mundus, qui cum à seipso esse non possit, oppido nos in alicujus primæ & independentis causæ notitiam deducit; sed etiam hominum tam malorum, quàm bonorum conscientia, quæ dum rectè factis gaudent, malè factis verò terrentur, intus dicitant, esse aliquod Ens seu Numen supremum, quod & scelera vindicet, & bona remuneretur. Vide Rom. I. 19. 20. Act. XIV. 17. Rom. II. 15.*

III. *Hinc nulla gens est neque tam immansueta, nec tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat, ut benè ait Cic. lib. I. de Legibus.*

A 2

IV. Quin

IV. Quin & quid sit DEUS, ductu luminis naturæ quodammodo investigari potest: siquidem invisibilia ipsius, aterna scilicet ejus potentia & Divinitas, jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta, perspiciuntur, Rom. I. 20.

V. Perspiciuntur autem ex illis I. Viâ Causalitatis. Considerantibus enim, quòd mundi hæc machina, & quæ in eâ continentur universa, tam convenienti & admirabili ordine sint constituta, & quotidie tam sapienter gubernentur, innotescit non modò quòd sit; sed etiam quòd unus, intelligens, potens, sapiens, bonus, aternus sit DEUS. Quâ de re Syracides cap. XLIII. eleganter differit, & fusè agunt Philosophi, & Dd Scholastici, inter quos videri potest Suarez. Disp. Metaph. XXIX. & XXX.

VI. 2. Viâ, quam dicunt eminentiæ; cùm quicquid perfectionis est in creaturis, id omne in DEO tanquam supremâ illarum causâ modo quodam eminentiori esse colligimus, ducti notissimo illo naturæ principio: Quicquid est in effectu, præexistit in causa, vel formaliter, vel eminenter. Formaliter quidem, quando causa est univoca; eminenter verò, cùm æquivoca est causa: qualis est Deus respectu rerum creaturarum, ut pluribus docent Philosophi. Hinc quia homines præditi sunt intellectu & voluntate, benè inferimus, in DEO quoque tanquam in cau-

causa prima esse *virtutem intelligendi & volendi*.  
 Quem in modum ratiocinatur etiam *Psalmes*, *Psal.*  
*XCIII. 9.* *Qui, inquit, plantavit aurem, non au-*  
*diet? & qui finxit oculum, non aspiciet?*

VII. 3. *Viâ negationis*: Cum imperfectiones  
 creaturarum à DEO, tanquam perfectissimo Ente  
 removemus: v. g. quia *finitum, corporeum, mutabi-*  
*lem esse, aliunde dependere, aliquando non extitisse*, in  
 creaturis imperfectiones sunt, rectè eas à Deo remo-  
 vemus, ipsumque *infinitem, incorporeum, immuta-*  
*bilem, independentem, æternum esse* concludimus. In  
 quo rursus præeuntem habemus Scripturam, quæ  
 cum Gentiles extremæ amentia & temeritatis ar-  
 guit, & ex eo convincit, quòd idola colant, homi-  
 num industriâ ex ligno confecta, quæ nec vident,  
 nec audiunt, & hominibus nec benè nec malè facere  
 possunt; haud obscure ad lumen naturæ provocat,  
 ex quo constare poterat, Deos non esse, in quos  
 prædictæ vel aliæ imperfectiones caderent. Vide  
*Psal. CXV. 4. & seqq. Jes. XLIV. 9. & seqq. Jerem. X.*  
*3. & seqq. Sapient. XV. 15 & seqq. Rom. I. 21. & seqq.*

VIII. Atque hæc naturalis notitia hominem ad  
 DEUM ulterius investigandum, & decente cultu  
 prosequendum manu quasi ducere debebat, adeò,  
 ut excusationem non habeant gentes. quæ DEUM,  
 qualitercunque à se cognitum, non amplius inquisi-

maup

verunt, nec ut DEUM glorificaverunt, *Rom. I. 21.*  
 Confer *Act. XVII. 27.*

IX. Ad æternam verò salutem consequendam ipsa non sufficit, utpote quæ suo ambitu nec *modum*, quo Deus vult à nobis coli, nec *redemptionis*; aut alia *Christiane fidei mysteria* complectitur, sine quorum notitiâ tamen salus æterna nemini obtingit.

X. Hinc altiori opus est principio, ex quo ut cæterorum, quæ creditu ad salutem necessaria sunt, ita DEI uberior cognitio hauriatur.

XI. Principium illud est *Scriptura Sacra.*

XII. Hæc verò non solum eadem, quæ recta ratio, de DEO docet, videlicet quòd Deus sit *unus*, *Deut. IV. 35. c. VI. 4. Marc. XII. 29. &c.* quòd sit *justus*, *Psal. XI. 7. CXIX. 137. Rom. II. 13. bonus*, *Psal. XXV. 9. LXXIII. 1. Matth. XIX, 17. Rom. II, 4. &c.* Sed & alia quædam attributa tradit, quæ ex rationis principiis vel demonstrari non possunt, vel sanè difficulter demonstrantur; qualia sunt *omnipotentia*, *Gen. XVII, 1. Matth. XIX, 26. Eph. III, 20. immensitas & omnipresensia*, *1. Reg. VIII, 29. Jer. XXIII. 24. Psal. CXXXIX. 7. 8.*

XIII. In specie autem docet Scriptura, Deum illum unum esse *Patrem*, *Filium & Spiritum Sanctum*; idque Ecclesia Christiana ab initio statim ad nostra usque tempora non alio intellexit sensu, quam



quàm hoc : *in essentiâ Divinâ esse alium*, qui sit & dicatur *Pater* ; & *alium*, qui sit & dicatur *Filius* ; & *alium* denique, qui sit & dicatur *Spiritus Sanctus*, atque tres illos ita inter se distingui, ut tamen *una sit eorum essentia, equalis gloria, & coeterna majestas.*

XIV. Quod cum profundissimum & naturali rationi incomprehensibile mysterium sit, ab hæreticis omnium ferè ætatum, cum primis autem seculo post natum Salvatorem tertio & quarto, à *Sabellianis, Arianis*, & nonnullis aliis acerrimè fuit impugnatum.

XV. Et *Sabelliani* quidem, qui ab autoribus *Praxeæ & Noëto* etiam *Praxeani & Noëtiani* dicti sunt, admittebant, verum illum ac æternum DEum appellari *Patrem, Filium & Spiritum Sanctum* : negabant autem, quòd *Pater* sit *alius & distinctus à Filio* ; & rursus *alius Filius, & alius Spiritus Sanctus*, tum inter se, tum à Patre distincti, sed sicut essentia Divina est una, ita referente *Epiphaniò hæres. LXXII.* dicebant, τὸν αὐτὸν εἶναι πατέρα, τὸν αὐτὸν υἱὸν, τὸν αὐτὸν εἶναι ἅγιον πνεῦμα, ὡς εἶναι ἐν μιᾷ ἰσοσθενείᾳ ὁνομασίας, i. e. eundem esse *Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum*, ut sint in una substantia tres nomenclaturæ, h. e. tria nomina, quæ alio atque alio respectu uni illi ac æterno DEO tribuantur, adeò ut si rem ipsam spectes, *Pater* sit *ipse Filius & Spiritus S.* & propterea rectè dici possit, *ipsum*  
Pa-

*Patrem descendisse in virginem, ipsum ex ea natum, ipsum passum, ut Tertullianus scribit lib. 1. adv. Praxeam. Ex quo etiam Patripassianorum nomen sortiti sunt. Videatur Epiphanius d. l. & Augustinus ad Quodvultdeum heres. XLI.*

XVI. Ad hocce proximè accessit *Paulus Samosatenus*, qui juxta *Epiphanium heres. LXV.* Deum Patrem Filium & Spiritum S. statuit unum DEUM esse: in Deo autem semper esse ipsius Verbum & Spiritum ipsum, quemadmodum in hominis corde est proprium verbum: Non esse autem filium DEI ἐνυπόστατον, sed (esse) in ipso DEO. Item dicebat: εἷς ἐστὶν ὁ Θεός, ἔχει πατρὴς ὁ πατρὴς, καὶ υἱὸς ὁ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα, τὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀλλὰ εἷς Θεός ὁ πατρὴς, καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἐν αὐτῷ, ὡς λόγος ἐν ἀνθρώπῳ. h. e. Unus est Deus, nec Pater est Pater (i. e. genuit filium) nec filius est filius (h. e. genitus à Patre) nec Spiritus S. est Spiritus S. (i. e. procedit) sed Pater est unus Deus, & Filius ejus est in ipso, sicut verbum in homine. Hæc *Samosatenus*; qui in eo tamen diversum sensit à *Sabelianis*, quòd Christum non, ut illi, DEUM & hominem; sed nudum hominem esse docuit, ex operatione Spiritus S. tamen conceptum & natum, in quo sicut in aliis sanctis, Verbum DEI habitaverit, & miracula operatum fuerit, licet modò quodam eminentiori. Quem errorem postea amplexus est, & mor-

mordicus tenuit *Photinus*, Episcopus Sirmienfis, ut *Epiphanius* hæresi LXXI. & *Augustinus* d.l. hæres. XLV. memorant.

XVII. Non multò post *Arius* novam & priori è diametro adversantem hæresin excitavit. Cum enim, Scripturæ S. auctoritate convictus, concedere cogeretur, quòd *alius* sit DEUS *Pater*, & *alius* ipsius *Filius*; nec tamen ratione suâ assequi valeret, quì unus ille & æternus DEUS posset simul *gignens* & *genitus*; *Pater* & *Filius* esse: eò tandem descendit, ut Filium diceret *κτισμα ἐξ ὄντων*, i. e. *creaturam* esse, *ex nihilo productam*: fuisse quidem ipsum *πρὸ χρόνων καὶ αἰώνων*, *ante tempora* & *secula*; non tamen *ab æterno*, cum *aliquando*, nempè *antequam gigneretur vel conderetur, vel fundaretur*, non extiterit, ut ipse scribit in *Epistola ad Eusebium*. De Spiritu S. autem, etsi non legimus ab ipso motam fuisse controversiam, tamen si ejus argumenta, quibus contra DEitatem Filii usus est, paulò accuratius expendimus, dubium esse non potest, quin illius æquè ac Filii DEitatem, si non apertè, intus tamen & in animo negaverit: quam postea etiam discipuli illius ita vehementer impugnarunt, ut communi nomine *Pneumatomachi* dicerentur.

XIIX. Tandem superiori seculo *Samosatani* & *Photini* hæresin ex orco revocavit *Michaël Servetus*, & post

& post ipsum longè lateque per *Poloniam, Transylvaniam & Lituaniam* disseminarunt *Lalius Socinus, Gregorius Blandrata, Franciscus Davidis, Faustus Socinus* & alii plures, quos ab Auctore *Pbotino Pbotinianorum* appellatione indigare consuevimus.

XIX. Docent autem perinde, ut prædictus *Sirmiensem* Episcopus, *unam esse Divinitatis personam*; *Christum* verò esse *nudum hominem*, & dici *Filium DEI*, non quòd ex substantiâ *DEI* Patris genitus; sed quòd, *Spiritu S. operante*, in utero *Mariæ Virginis* conceptus sit, & post in *Filium* adoptatus. *Spiritus S.* denique *non Deum, sed Dei virtutem* esse, obstinatè contendunt.

XX. Quibus omnibus ut obviam eatur, duo potissimum ostendenda veniunt. Unum quidem: *Patrem à Filio; & Filium à Spiritu Sancto, & hunc ab utroque reverè distingui*, ita ut rectè dicatur & verè sit *alius Pater, alius Filius, & alius Spiritus Sanctus*. Alterum est: *Non solum Patrem, sed etiam Filium & Spiritum Sanctum esse verum & æternum DEum*. Prius *Sabelliana*; posterius *Ariane*, & quæ ei affinis, *Pbotiniana* hæresi opponendum est.

XXI. Atque à priori ut exordiar, *Patrem & Filium* non esse nuda nomina, sed denotari illis in essentiâ *Divinâ alium*, atque *alium*, quorum unus propriè loquendo sit *Pater*, & alter *Filius*, facile patebit  
confi-

consideranti , quòd Pater dicatur genuisse *Filium*,  
*Pfal. II. 7.* & Filius à Patre *genitus*. Dicitur enim  
 μονογενὴς ὢν ἐκ τοῦ πατρὸς, *unigenitus à Patre, Job. I. 14.*  
*Filius unigenitus, qui est in sinu Patris v. 18. Filius DEI*  
*unigenitus, cap. III. 16. 17.*

XXII. Ex quibus hunc in modum colligimus:  
 Vox *Pater* denotat eum, qui genuit *Filium*; & *Filius*  
 notat eum, qui est *genitus à Patre*. Ergò non unum,  
 sed *aliud* atque *aliud* notant. Ratio consequentiæ  
 est evidens. Si enim unum & eundem denota-  
 rent, sequeretur, quòd unus & idem uno & eodem  
 respectu sit simul *gignens* & *genitus*, & quòd Pater  
 seipsum genuerit, sitque sui ipsius Pater; & filius à  
 seipso sit *genitus*, sitque sui ipsius filius, quæ manife-  
 stissima est contradictio.

XXIII. Quòd vero Spiritus S. quoque *alius* sit  
 à Patre & Filio, vel inde apparet, quòd *Jobann. XIV.*  
 dicitur *procedere à Patre, & mitti à Filio*. Cùm enim  
 nemo dicatur à se ipso *procedere*, vel se ipsum mit-  
 tere, necessariò sequitur, quòd *alius* sit *Spiritus San-*  
*ctus*, qui procedit & mittitur; *alius* autem *Pater* &  
*alius Filius*, à quibus procedit & mittitur.

XXIV. Inde est, quòd Scriptura passim de Pa-  
 tre & Filio, u & de Spiritu S. tanquam de distinctis  
 distinctè loquitur. v. g. *2. Cor. XIII. v. ult. Gratia Do-*  
*mini nostri Jesu Christi, & charitas DEI, & commu-*

*nicatio SPIRITUS SANCTI sit cum omnibus vobis.*  
*1. Job. V. 7. Tres sunt, qui testimonium perhibent in*  
*Cœlis, Pater, Verbum & Spiritus S. Ephes. II. 18. per*  
*ipsum habemus aditum ad Patrem in uno Spiritu.*  
*Matt. XXIII. 19. Docete omnes gentes in nomine Pa-*  
*tris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Imò Christus ipse  
 de suo Patre loquens: *ALIUS est, inquit, qui testi-*  
*monium perhibet de me Job. V. 32. Etrursum: Ego*  
*rogabo patrem, & ALIUM paracletum dabit vobis,*  
*cap. XIV. 16. Quæ & alia similia loca commodè ex-*  
*plicari non possunt, nisi inter Patrem, Filium & Spi-*  
*ritum S. admittatur distinctio, & alius dicatur esse*  
*Pater, alius Filius, alius Spiritus S.*

XXV. Distinctionem hanc quò commodè ex-  
 primerent occidentalis Ecclesiæ Doctores, *Patrem,*  
*Filium & Spiritum Sanctum tres personas dixerunt,*  
*personæ vocabulo nihil aliud significantes, quàm sub-*  
*stantiam individuum, intelligentem, incommunicabi-*  
*lem, quæ non sustentatur in aliâ.*

XXVI. Notanter dico: I. *Substantiam incom-*  
*municabilem; II. Quæ non sustentatur in aliâ.* Illud  
 quidem ob *essentiam Divinam; hoc ob humanam*  
*naturam in Christo.* Nam etsi utraque est *substan-*  
*tia intelligens & individua, tamen quia essentia Di-*  
*vinæ tribus personis communicatur; humana verò*  
*natura in Christo propria subsistentia destituitur, &*  
 in

in alio, nempe in ὡσαύται λόγῳ sustentatur, neutra formaliter persona est vel dici potest.

XXVII. Eodem sensu dixit orientalis Ecclesia, *Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres ὡσαύταις*, nisi quòd ὡσαύταις formaliter per modum abstracti *subsistentiam* notat, & rebus quoque intellectu carentibus convenit: *persona* autem non nisi de natura intelligente dicitur, & concretivè ipsum *subsistens* significare videtur: quanquam nonnulli Scriptores eam in præsentia etiam abstractivè pro *subsistentia* accipiendam esse docent, & in illa Boëtii descriptione: *persona est rationalis natura ind. . . ua substantia*; dicunt *substantiam individuum* sumi pro *subsistentia incommunicabili*, ut sensus sit: *persona est rationalis natura incommunicabilis subsistentia*. Videatur *Vazquez in I. Thom. q. XXIX, a. 1.*

XXVIII. Cæterùm de vocum harum usu non levis fuit contentio inter Græcos & Latinos Patres. Latini enim, cùm ob linguæ suæ angustiam non possent *hypostasim* ab *essentia* distinguere, in ciliò noluerunt in Divinis *tres hypostases* admittere, veriti, ne sub phrasi illa *tres essentie Divina* introducerentur.

XXIX. Contrà autem *persona* vox Græcis erat suspecta. Quia enim a quodam Latinis Auctores ea sæpius legitur de *qualitate*, *officio* vel *habitu* usurpata, suspicabantur Patres Græci: *tres personas* dici à Latinis,

tinis, non ad significandum reale discrimen inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, sed ut vel diversos habitus, quos DEUS diversis temporibus quasi induerit; vel diversa officia, quibus functus fuerit in terris, nominibus illis indigarent, perinde ut Sabelliani dicebant, *DEUM in V. T. ut Patrem tulisse legem, in N. autem ut Filium hominem esse factum, ut Spiritum Sanctum denique Apostolis supervenisse.*

XXX. Quælis postquam Athanasii opera composita fuit, Græci tandem ad imitationem Latinorum etiam *τρία πρόσωπα*; & hi ad imitationem illorum *tres* quoque *hypostases* dicere ceperunt.

XXXI. Etsi verò voces illæ in Scriptura Sacra nusquam de SS. Trinitatis mysterio adhibitæ leguntur, res ipsa tamen in ea habetur. Et quidem de Patre largiuntur adversarii omnes, quòd *ἐν πρῶτος* sit, & rectè dicatur *persona*.

XXXII. De Filio idem evincit ejus *æterna generatio à patre*; item ipsius *incarnatio & operationes*, quæ ita in sacris literis describuntur, ut eum *ἐν πρῶτος* & *personam* esse, manifestissimum inde evadat.

XXXIII. Nec aliter de Spiritu S. sentiendum esse, elucescit ex ejus operationibus. Operatur enim liberè, & distribuit sua dona unicuique, ut vult, *1. Cor. XII. 11. scrutatur omnia, c. II. 10. 11. arguit, docet, annun-*



nunciat, *Job. XVI. 8. 13. consolatur, testatur, Cap. XV. 26. præficit Ecclesiæ suæ Episcopos, Act. XX. 28. Quæ sanè non nisi in intelligentem & per se subsistentem naturam cadere possunt.*

XXXIV. Atque sic contra *Sabellianos* ostendimus, quòd inter se distinguantur *Pater, Filius & Spiritus S.* Superest, ut adversus *Arianos & Photinianos* tum veteres tum recentiores evincamus, *Patrem, Filium & Spiritum S. esse verum & æternum Deum,* quod erat alterum membrum, cuius tractatio ad hujus mysterii confirmationem necessaria videbatur.

XXXV. Et de Patre quidem id in confesso est, quem verum & æternum DEUM esse *Anti-trinitarii* omnes agnoscunt & fatentur.

XXXVI. De Filio idem perspicuè probari potest. Primum enim vocat ipsum Scriptura Sacra expressis verbis *DEUM super omnia benedictum, Roman. IX. v. 5. Verum DEUM, 1. Job. V. 20. Magnum DEUM. Tit. II. 13. Deum, qui sanguine suo Ecclesiam redemit, Act. XX. 28.* quæ cum appellationes & epitheta sint summi & æterni DEI, tandiu de eodem satis tutò accipiuntur, donec urgentissima ratio fuerit adducta, ob quam aliter, quàm de æterno DEO, ea accipi & explicari oporteat.

XXXVII. Deinde invictum pro Divinitate  
Chri.

Christi argumentum ex eo etiam petitur, quòd quæ in Veteri Testamento disertè de summo Deo dicta sunt, in Novo de Christo DEI Filio explicantur. Conf. Num. XXI. 5. 6. & 1. Cor. X. 9. Ps. LXVIII. 19. Eph. IV. 8. Psal. XCVII. 7. Psal. XLV. 7. Psal. CII. 26. Psal. CX. 1. & Ebr. I. ferè per totum. Esa. VI. 1. & seqq. & Job. XII. 41. Esa. XL. 3. Job. I. 23. Matth. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4.

XXXVIII. Tertiò idem quoque probatur argumento à Divina ejus generatione petito, quod hunc in modum formari potest.

*Quicumque est genitus ex substantia Dei Patris, ille veram habet essentiam Divinam, & est verus ac aternus Deus.*

*Atqui Filius DEI est genitus ex substantia Dei Patris.*

*Ergò Filius DEI veram habet essentiam Divinam, & est verus ac aternus Deus.*

XXXIX. Major propositio ex lumine naturæ evidens est, quo docemur, *gignentem & genitum* ejusdem esse essentiæ, adèò ut duo hæc: *aliquem esse genitum ex substantia Dei Patris; nec tamen veram habere essentiam Divinam, verumque ac aeternum Deum esse*, prorsùs inter se pugnent.

XL. Minor patet ex *Johann. I. 14. 18. c. III. 16. Rom. VIII. 32. Job. V. 18.* Ubi Christus *unigenitus*, item

*pro-*

*proprius* Dei filius dicitur. Sicut enim *proprius* filius per hoc, quòd ex substantiâ Patris genitus sit, definitur; ita & *unigenitum* filium ex substantia Patris genitum esse, vel ipsa vox *unigeniti* arguit.

XLII. Quartò tribuuntur Filio DEI *attributa Divina*: qualia sunt *Æternitas*, Mich. V. 1. Job. I. 1. Ebr. XIII. 8. *Omniscientia*, Coloss. II. 3. *Omnipotentia*, Apoc. I. 8. &c. Quæ cum realiter ab Essentiâ Divinâ non differant, iidem pro Divinitate Filii DEI probandâ firmum argumentum suppeditant.

XLII. Quintò Eidem tribuuntur etiam *operationes Divinæ*, v. gr. *Creatio*, Job. I. 3. Coloss. I. 16. Ebr. I. v. 2. *Conservatio omnium*, Coloss. I. 17. Ebr. I. 3. *resuscitatio mortuorum*, Joban. V. 21. &c. Quæ non nisi à vero & æterno DEO provenire possunt.

XLIII. Denique & *cultus Divinus*, qui Christo DEI Filio tribuitur, Ebr. I. 6. Job. XIV. 13. ipsum verum ac æternum Deum esse arguit. Huc usque de Divinitate Filii DEI. Proximum est, ut *Spiritum Sanctum quoque verum ac æternum Deum* esse ostendamus.

XLIV. Hoc autem ostenditur inde, quòd I. Scriptura S. ipsum apertè *Deum* appellat, Actor. V. 3. 4. Confer 1. Cor. III. 16. 17. c. VI. 19.

II. Quæ in V. T. de vero DEO dicta sunt, in N. de *Spiritu S.* explicantur. Confer Esa. VI. 9. Actor. ult.

ult. v. 25. 26. *Psal. XCV. 7. & seqq. Ebr. III. 7. & seqq. Jerem. XXXI. 33. Ebr. X. 15.*

III. Eidem attributa Divina conveniunt: qualia sunt *Immensitas, Psal. CXXXIX. 7. Omniscientia 1. Corinth II. 10. &c.*

IV. Similiter conveniunt ipsi *Operationes Divinae*: ut *Creatio, Psal. XXXIII. 6. Job. XXXIII. 4. Justificatio & Salvatio, 1. Cor. VI. 11. Tit. III. 5. Prædictio futurorum, 2. Petr. I. 21. Ebr. X. 15. gubernatio Ecclesie, Actor. XX. 28. Largitio & distributio donorum Spiritualium, 1. Cor. XII. 11.* Quæ omnia Spiritus Sæternam Deitatem solidè evincunt.

XLV. Etsi vero *Pater, Filius & Spiritus S.* tres distinctæ personæ sunt, & quælibet verus ac æternus DEUS: quod utrumque hæctenus fuit probatum. Hoc quidem adversus *Arianos*; illud vero contra *Sabellianos*: non tamen, ut tres personæ; ita tres DEI sunt, sed *Deus est unus, & præter eum non est alius*, ut ferè nullibi non Scriptura inculcat & docet.

XLVI. Ex quo fluit, quòd etiam trium personarum essentia Divina non nisi una esse possit.

XLVII. Hoc ut significanter exprimerent Patres Nicenæ Synodi, novo usi vocabulo, *Filium Patri ὁμοούσιον*, h. e. *ejusdem cum ipso essentia esse dixerunt*, essentiam non specie, sed numero eandem intelligentes. Quod ipsum de *Spiritu S.* quoque, nempe quòd

quòd *Patris & Filii* ὁμοῦσι ὁ h. e. *eiusdem cum utroque essentia* sit, rectissimè pronunciamus.

XLVIII. Pulchrè id explicat *Auctor Symboli Athanasiani*: *Fides, inquiens, catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur: Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris, & Filii & Spiritus Sancti una est Divinitas, aequalis gloria, coeterna majestas.*

XLIX. Ubi majoris perspicuitatis gratiâ repetendum ex superiori th. XXVI. quòd *Persona* nomen in præsentia soleat ab auctoribus accipi bifariam: scilicet vel *abstractivè*, prout *modum existendi* denotat, & nihil aliud est, quàm *intelligentis natura incommunicabilis subsistentia*; vel *concretivè*, prout præter modum existendi, etiam *essentiam* includit: quo posteriori modo accipiebatur persona superius th. XXIV. & sumitur etiam in *Art. 1. Aug. Conf.* cum dicitur id esse, *quod propriè subsistit.*

L. Quibus observatis, facilè intelligitur, quo sensu *tres distinctas personas*; & *unam essentiam Divinam* confiteamur: nempe si vox *persona abstractivè* accipiat, sensus est: *Tres esse distinctas subsistentias in unâ essentiâ Divinâ*: sin eadem sumatur *concretivè*, sensus erit hic: *Tres esse personas, quarum*

qualibet sit substantia individua, intelligens, incommunicabilis; ita tamen, ut unam habeant communem essentiam, & per solas substantias suas distinguantur.

LI. Atque huc pertinet, quòd nonnulli Theologi docent, Essentiam Divinam posse duobus modis considerari: uno quidem *absolutè*, prout scilicet tribus personis communis est; altero *determinatè*, quatenus sub certo modo substantiæ consideratur, & accepta *cum substantiâ* seu *personalitate* Patris, *Patrem*; cum *personalitate* Filii *Filium*; & cum *personalitate* Spiritus S. *Spiritum S.* constituit, non quidem constitutione reali, sed rationis nostræ, concipientis essentiam Divinam ut aliquid tribus personis commune; *Personalitatem* vero seu *substantiam* ut rationem particularem, quæ essentiam determinet: quamvis reipsâ idem sint, nec quicquam inter se differant *essentia & personalitas*.

LII. Vidimus hætenus, quo sensu Scriptura tradat, *Deum esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*: nempe *Patrem, Filium & Spiritum S. esse tres personas*; & *tres illas personas esse unum Deum*. Quod i. *Job. V. 7.* ita exprimitur: *TRES SUNT, qui testimonium dant in cælo; PATER, VERBUM & SPIRITUS SANCTUS: & HI TRES UNUM SUNT.* Priùs autem, quàm hinc abeamus, explicandum est  
pau-

paucis, quomodo distinguantur, & quousque inter se conveniant *Personæ Divinae*.

LIII. Distinguuntur autem inter se tùm *actibus* tùm *proprietatibus* & *notionibus personalibus*.

LIV. *Actus Personales* vocantur, qui *alicujus vel aliquarum* personarum proprii sunt. Idem etiam *actus notionales* dicuntur, quòd ex illis *Personæ Divinae* nobis innotescant.

LV. Ejusmodi *actus* sunt *Generatio* & *Spiratio*.

LVI. *Generatio* est *actio ad intra*, quâ *Deus Pater* ex *substantiâ suâ Filium ab æterno* produxit.

LVII. *Spiratio* est *actio ad intra*, quâ *simul Pater & Filius ex substantia sua ab æterno* produxere *Spiritum S.*

LVIII. Conveniunt igitur inter se *generatio* & *spiratio* primùm in hoc, quòd utraque est *actio DEI ad intra*.

LIX. *Actiones autem ad intra* sunt, per quas in ipso *DEO* aliquid producit: & vocantur ita *ratione termini*, quòd non in creaturis extra *Deum*, sed *intra ipsum* terminentur: seu quòd terminus per illas productus sit *in ipso DEO*.

LX. Dico: *Terminus per illas productus*: Non enim quævis *DEI internæ actiones* sunt *actiones ad intra*, sed illæ tantùm, quæ *reales* sunt, & terminum habent in ipso *DEO* productum. Hinc etfi *intelli-*

C 3 ubi quæritur & gere,

gere, velle, amare & alii similes, quos vocant, *immanentes actus in ipso Deo* sunt; actionibus tamen *ad intra* non annumerantur. Causa est, quòd non sunt *reales actiones*, nec in DEO quicquam per eas producitur: sunt enim nihil aliud, quàm ipse *intellectus* & ipsa *voluntas* DEI, quatenus cum connotatione objectorum sumuntur, & à nobis per modum actuum concipiuntur.

LXI. Actionibus *ad intra* opponuntur actiones DEI *ad extra*, quæ itidem *ratione termini* ita dicuntur, quòd non in Deo, sed *extra ipsum* in creaturis terminentur; qualis actio est v. g. *creatio*.

LXII. Deinde etiam in eo conveniunt prædicti actus, quòd utroque producitur terminus *ex substantiâ* principii sui, *Filius* quidem *ex substantiâ Patris*; *Spiritus S. autem ex substantia Patris & Filii*: non quòd substantia seu essentia Divina sit materiale principium, ex quo producti sint Filius & Spiritus Sanctus: sed quia *Pater per generationem Filio*; & *Pater ac Filius per spirationem Spiritui S. substantiam* seu essentiam suam communicaverunt, ita ut illa ipsa essentia, quæ est in Patre, tanquam in principio producente Filium, tota sit in Filio; & quæ est in Patre & Filio, tanquam in principio producente Spiritum Sanctum, tota sit in Spiritu Sancto, idèd dicitur *Filius ex substantiâ Patris, & Spiritus S. ex substantiâ Patris & Filii* productus.

LXIII.



LXIII. Quòd hoc modo producti sint Filius & Spiritus S. ostendo ita: Quæcunque producuntur, ea producuntur vel *ex subjecto aliquo*, vel *de nihilo*, vel *de Substantia principii producentis*. Sed *Filius & Spiritus S.* neque *ex subjecto aliquo*, neque *de nihilo* producti sunt; alias enim non essent verus & æternus Deus, sed creaturæ, cum quicquid alterutro hoc modo producitur, creatura sit. Relinquitur ergò, quòd uterque *de Substantia principii producentis* sit productus, *Filius sc. de substantia Patris; & Spiritus S. de substantia Patris & Filii*. Et quia Substantia seu essentia Divina una simplicissima & planè indivisibilis est, necessariò sequitur, quòd ita *Filius de substantia Patris; & Spiritus S. de substantia Patris & Filii* productus sit, ut ille eandem, quæ in Patre; & hic eandem, quæ in Patre & Filio est, essentiam, eamque totam & indivisam acceperit.

LXIV. Porrò *generatio & spiratio* differunt inter se tum *ratione principii*, tum *ratione termini producti*. Illius enim principium est *solus Pater*; terminus autem *Filius genitus*. Hujus verò principium est simul *Pater & Filius*; terminus autem *Spiritus S* qui nec *Filius*, nec *genitus* dicitur, sed *procedens*.

LXV. Quòd *generatio* sit *actio solius Patris*, admittitur ab omnibus, qui S. S. Trinitatis mysterium credunt & confitentur.

LXVI.

LXVI. De *spiratione* autem, utrum & illa *solius Patris*; an verò *simul Patris & Filii actio* sit, ita ut *Spiritus S. ab utroque procedere* dicatur, disputatum fuit olim inter Græcæ & Latinæ Ecclesiæ Doctores, de quo nec dum inter ipsos convenit.

LXVII. *Græci* enim asserunt prius, & pro suâ opinionione stabiliendâ urgent inter alia I. Quòd nusquam in Scripturâ *Spiritus S. dicitur procedere à Filio*, sicut *Job. XV. 26. dicitur procedere à Patre*. II. Quòd si etiam à Filio procederet, duo essent ejus principia statuenda, quòd absurdum. Videatur *Theophyl. in cap. III. Job.*

LXVIII. *Latini* autem contrà, & quidem rectiùs statuunt, *Spiritum Sanctum procedere simul à Patre & Filio*, sequentibus innixi rationibus: Quòd *Spiritus Sanctus non minùs Filii, quàm Patris Spiritus dicitur*. Confer inter se *Gal. IV. 6. & Matth. X. 20*. II. Quòd *in tempore mittitur non solùm à Patre Job. XIV. 26. sed etiam à Filio, Luc. XXIV. 49. Job. XV. 26. cap. XVI. 7.* III. Quòd *Christus ipse ait: Omnia quæ Pater habet, mea sunt: propterea dixi, quòd (Spiritus S.) de meo accipiet, Job. XVI. 15.* IV. Quòd si *Spiritus S. non procederet à Filio, ab ipso etiam non distingueretur*. Nam in Divinitate omnia sunt simplicissimè unum, inter quæ nulla intercedit relativa oppositio. At talis oppositio in DEO non est, nisi

nisi inter principium producus & terminum productum. Quas rationes vide pluribus deductas apud Auctores.

LXIX. Deinde etiam de illo in Ecclesiâ diu fuit quaesitum, cur nec Spiritus Sancti productio *generatio*; nec Spiritus S. à *Patre & Filio genitus*, & utriusque *Filius* esse dicatur, cum tamen *generatio viventis*, juxta *Thomam p. I. q. XXVII. a. II.* definiatur, quod sit *origo viventis à principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ*; quæ definitio non minus *Spiritus Sancti*, quam *Filii* productioni convenire videtur.

LXX. Atque ut cæteras, quæ parum habent probabilitatis, opiniones silentio præteream, *Cajetanus in I. Thomo. q. XXVII. à. IV.* & nonnulli alii ex recentioribus Scholasticis dicunt, ad hoc ut quis propriè dicatur *genitus & Filius*, requiri non solum, ut productus sit *vivens à vivente in similitudinem naturæ*, sed etiam ut *vi sua productionis in natura similis* sit principio producenti. Etsi autem *Spiritus S. in natura* similis est Patri & Filio; habet enim eandem numero naturam, quæ est in Patre & Filio: tamen cum non *per intellectum* ut Filius, sed *per voluntatem* sit productus, non *ex vi productionis suæ* habet, quod in naturâ similis est Patri & Filio. Quod *Cajetanus d. l. fufius* declarat.

LXXI. Verùm opinionem hanc rejiciunt & im-

D

pug-

pugnant *Canariensis* & *Vazquez*, existimantes, *Spiritum* S. etiam ex vi productionis suae in natura similem esse Patri & Filio, non obstante, quòd per voluntatem productus sit. Hinc paulò aliter prædictam difficultatem expedire conantur, dicentes, ad hoc, ut quis alicujus filius dicatur, necessarium esse, ut non solum vi productionis suae ipsi in natura similis sit, sed etiam ut sit imago illius: Spiritum Sanctum autem esse quidem vi suae productionis Patri & Filio, à quibus procedit, in natura similem, non tamen imaginem illorum, utpote qui, cum per intellectum non ut Verbum, sed per voluntatem ut Amor producat, non sit expressa eorum similitudo, quod ad imaginem requiri ostendit *Vazq. p. I. q. XXVII. a. III. c. VII. Disp. CX.*

LXXII. Utrinque præsupponitur tanquam certum, generationem Filii esse intellectus; spirationem autem seu productionem Spiritus Sanctus voluntatis actum: quod olim etiam ex vetustis Patribus non pauci, & Doctores Scholastici ferè omnes statuerunt, eà potissimum ratione inducti, quòd Filius in Scriptura λόγος Verbum; & Spiritus S. Amor dicitur: Si Filius non procederet per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem, non posset dari ratio, cur Filius vocetur Verbum, & Spiritus S. Amor, inquit ex recentioribus *Becanus p. 1. Tr. II. C. I. q. II. §. IV.*

LXXIII.

LXXIII. Sed de fundamento hoc forsan non præter causam quis dubitaverit. Nam quod ad *Filium DEI* attinet, in promptu sunt rationes diversæ, ob quas ei nomen λόγος rectè conveniat, etiamsi ponatur, quòd ejus generatio non sit actus intellectus Divini. Videantur inter alios *Chennitiuss in Harm. Evang. cap. I. p. m. 66. Flacius p. 1. Clav. in voce Verbum.* De *Spiritu S.* autem vix afferetur aliquis *Scripturæ* locus, in quo is præcisè dicatur *Amor.*

LXXIV. Præterea opinio illa multis urgetur difficultatibus, quas dudum ostendit *Durandus I. Sent. D. VI. q. II.* Inter eas verò non minima est hæc, quòd *intelligere, velle, amare,* actus *essentiales* sunt, & ob unitatem *essentiæ,* intellectus, ac voluntatis *Divinæ* omnibus tribus personis conveniunt. Ex quo sequi videtur, quòd *generare* etiam & *spirare* omnibus tribus personis conveniat, si verum est, quòd *generatio* sit *intellectus;* & *spiratio* voluntatis actus.

LXXV. Quod absurdum ut vitaret *Durandus,* *Filium* statuit non *per intellectum,* nec *Spiritum S. per voluntatem,* sed utrumque esse *ex fecunditate naturæ* productum.

LXXVI. Sed hanc *Durandi* opinionem cæteri ferè omnes improbant; qui etiam difficultatem ab ipso motam discutere conantur, adhibita distinctione inter *intelligere* ac *dicere;* *amare* & *spirare.* Et

priores quidem actus, *intelligere* scilicet & *amare*, concedunt essentialia esse, ac toti Trinitati convenire; posteriores autem docent *personales* esse seu *notionales*, h. e. proprios personarum, ita ut ex iis personæ Divinæ cognoscantur & distinguantur.

LXXVII. Dicunt igitur, *generationem* esse *intellectus*; & *spirationem voluntatis actum* non *essentialem*, sed *notionalem*, ex quibus hic verbo *spirare*, ille verbo *dicere* indigitetur. In cujus autem opinionis suæ explicatione inter se non omninò conveniunt.

LXXVIII. Nam *Scotus I. d. II. q. VII. & Quodl. q. XIV.* docet, *intelligere* & *dicere* in intellectu Divino esse duos actus, & similiter in voluntate DEI dari alium actum, qui verbo *amare*; & alium, qui verbo *spirare* exprimitur, & hunc illo esse posteriorem.

LXXIX. *Scoto* adversantur *Cajetanus*, *Canariensis*, *Vazquez* in *p. I. q. XXVII. a. V.* & alii, quibus rectius dici videtur, quòd unus actus sint *intelligere* & *dicere*; unus item *amare* & *spirare*, & tantùm nostro modo intelligendi distinguantur, sicut *inclusens* & *inclusum*. *Dicere*, inquit *Becanus d. l. cap. V. q. I.* duo includit, unum in obliquo, nempe *intelligere essentialia*: alterum in recto, nempe *relationem personæ producentis per intellectum ad personam productam*. Unde *dicere* definit, quòd sit *intelligendo producere*. Idem judi-

judicium est de *spiratione*, quæ juxta ipsos præter essentialem actum amoris, etiam relationem principii producentis per voluntatem, *Patris* sc. & *Filii* ad personam productam involvit.

LXXX. Verùm posterior hæc explicatio suis quoque & fortasse non levioribus, quam prior illa *Scoti*, difficultatibus premitur, ut cupienti in ipso conflictu ostendemus.

LXXXI. Hinc ut ut antiqua & etiamnum multis recepta est opinio, quâ *generatio intellectus*; & *Spiratio voluntatis actus* esse statuitur, tamen si eam, ut & quæ ei inædificantur, altiori mentis trutina secum quis expenderit, cogetur tandem suam ignorantiam fateri, & dicere cum *Augustino Lib. II. contra Maxim.* *Quid inter nasci & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur, sicut non omne quod bipes est, homo est, quamvis bipes sit omnis, qui homo est. Hec scio: distinguere autem inter illam generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia & illa & ista est ineffabilis. Sed satis de actibus personalibus.*

LXXXII. *Proprietates personales* sunt relationes fundatæ super prædictis actibus, *paternitas* scilicet, *filiatio* & *processio*.

LXXXIII. Et *paternitas* quidem ac *filiatio*, quarum illa primæ, hæc secundæ personæ proprietas est, fundantur in *generatione*. Ad hoc enim, quod unus est *gignens* & alter *genitus*, sequitur, quod unus sit *Pater* & alius *Filius*.

LXXXIV. *Processio* autem fundatur in actu *Spirationis*, cujus principium sunt *Pater* & *Filius*; terminus verò *Spiritus Sanctus* ab utroque *procedens*.

LXXXV. Hinc inter personas Divinas talis est ordo & distinctio: *Pater* non est ab alio, sed à *seipso*, & est *is à quo alius*, *Filius* sc. per *generationem* & *Spiritus S.* per *spirationem*: *Filius* non est à *se ipso*, sed ab alio, nempe à *Patre* per *generationem*; & est *is, à quo alius*, nempe *Spiritus S.* per *spirationem*. *Spiritus Sanctus* non est à *se ipso*, sed ab alio, nempe à *Patre* & *Filio*, à quo non est seu procedit alius.

LXXXVI. Inde proveniunt *Notiones Divinae*: *Patris* quidem *tres*; *Filii* autem *due*, & *Spiritus Sancti* *una*.

LXXXVII. *Notio* autem nihil aliud est, quàm *ratio*, per quam aliqua persona Divina innotescit, & à cæteris ad intra distinguitur.

LXXXVIII. Quatenus igitur *Pater* innotescit per hoc, quod solus non est ab alio sed à *seipso*; ejus *notio* una dicitur ἀγεννησία seu *innascibilitas*; & quatenus innotescit per illud, quod ab ipso est alius, nem-



nempe *Filius per generationem*, nec non *Spiritus S. per spirationem*, notio ejus secunda dicitur *Paternitas*; & tertia *Spiratio activa*.

LXXXIX. Quæ notiones cum inter se non sint relativè oppositæ, distinguuntur à se invicem solâ ratione, nec reipsâ diversæ, sed una proprietas sunt, quæ alio respectu *innascibilitas*, alio *paternitas*, & alio denique *Spiratio* vocatur.

XC. Perinde res sese habet cum Filio & Spiritu S. Quatenus enim *Filius* per id, quòd *ab alio est per generationem*, innotescit, ejus notio una est *filiatio* seu *generatio passiva*: & quatenus per hoc innotescit, quòd *ab ipso est alius per spirationem*, ejus altera notio est *spiratio activa*, quæ rursus cum non relativè opponantur, inter se solâ ratione distinctæ sunt. Denique quatenus *Spiritus S.* innotescit per hoc, quòd si à *Patre & Filio per spirationem*, ejus notio dicitur *Spiratio passiva* seu *processio*.

XCI. Atque hæc etiam de personarum distinctione. Quousque autem eadem inter se conveniant, facilè intelligitur ex iis, quæ superius de unitate essentiæ divinæ docuimus.

XCII. Sicut enim trium personarum *una est essentia*, ita necesse est, ut earundem *unus* quoque sit *intellectus*, *una voluntas*, *potentia* item & alia, quæ præcisè ad essentiam pertinent, *attributa una & eadem*,

dem , adeò ut uno intellectu intelligant , & unâ voluntate velint , unâ item potentiâ operentur *Pater, Filius & Spiritus S.*

XCIII. Ex quo fluit , quòd quæcunque intelligit vel vult *Pater* , eadem & eodem actu etiam *Filius & Spiritus Sanctus* intelligant & velint , & quæcunque ille operatur , eadem & *hi* operentur , juxta illud Christi : *Quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit, Job. V. 19.*

XCIV. Intellige autem hoc de operationibus *ad extra* , cùm *Pater* extra essentiam Divinam in creaturis aliquid operatur . Nam cum operationibus *ad intra* , hoc est , quæ in ipsa essentiâ Divinâ terminantur , secûs res sese habet , nec necessarium est , ut quæ operatur *Pater* , eadem etiam operetur *Filius & Spiritus S.* Aliàs enim sequeretur , quòd cum *Pater* ab æterno generat *Filium* , simul *Filius* seipsum , & *Spiritus S.* *Filium* generet ; & cùm *Pater & Filius Spiritum S.* ab æterno producant per spirationem ; simul *Spiritus S.* seipsum producat , quod absurdum .

XCV. Inde etiam orta est regula Theologorum : *Opera DEI ad intra sunt divisa* i. e. cùm *DEUS intra sese* operatur , non operantur simul omnes personæ , siquidem , ut dictum , *in generatione Filii solus Pater ; & in productione Spiritus S. tantùm Pater & Filius* ope-

operantur. Contra autem *opera ad extra sunt indivi-  
sa*, hoc est, quando *DEUS extra suam essentiam in  
creaturis aliquid operatur, tunc tres personæ sunt simul,  
& simul operantur*: Verba sunt Chemnitii in *L. C.  
part. I. fol. m. 40.*

XCVI. Nec tamen propterea *causæ sociæ* dicen-  
dæ sunt personæ Divinæ. Nam etsi in operibus *ad  
extra* simul operantur, non tamen per aliam atque  
aliam virtutem agendi (quod ad *causas socias* requi-  
ritur) sed ut diximus, per eandem planè indivisibi-  
lem potentiam operantur, ita ut ob identitatem po-  
tentia, quæ in qualibet persona tota est, effectus to-  
tus dependeat à Patre, totus à Filio, & totus à Spiritu  
Sancto. Vide hac de re pulcrè differentem *Augu-  
stinum lib. de Trin. & Unit. DEI Cap. IX.*

XCVII. Ita verò operantur simul, ut nihilominus,  
qui ordo inter ipsas est *ratione originis*, quâ una est  
ab altera; idem etiam inter illas sit *ratione operatio-  
nis*. Nam sicut *natura Divina, licet sit communis  
tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit, in  
quantum Filius accipit naturam Divinam à Patre, &  
Spiritus S. ab utroque: ita etiam & virtus creandi  
(potentia operandi) licet sit communis tribus perso-  
nis, ordine tamen quodam eis convenit. Nam Filius  
habet eam à Patre, & Spiritus S. ab utroque. Unde  
creatorem esse, attribuitur Patri, ut ei, qui non habet*

E

vir-

virtutem creandi ab alio. De Filio autem dicitur: **PER QUEM** omnia facta sunt, in quantum habet eandem virtutem, sed ab alio. Nam hac prepositio **PER** solet denotare causam mediam, sive principium de principio. Sed Spiritui Sancto, qui habet eandem virtutem ab utroque, attribuitur, quod dominando gubernet & vivificet, quae sunt creata à Patre per Filium, inquit Thomas p. I. q. XLV. a. VI.

XCVIII. Atque huc pertinet, quòd Apostolus x. Cor. IIX. 6. Nobis, inquit, unus est **DEUS**, qui est Pater ille, **EX QUO** omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, **PER QUEM** omnia, & nos per illum. De quo ita Damascenus de Orth. Fide l. III. c. X. Nihil dividunt hæ prepositiones, aut ordinationes, sed designant unius inconfuse nature proprietates; Et id ex hoc cognoscitur, quòd in unum rursus conjunguntur, si non in vanum istud apud Apostolum legitur: **EX ipso** & **PER ipsum** & **IN ipso** sunt omnia, ipsi gloria in secula.

XCIX. Eodem oculum intendisse videtur Salvator, cum Job. V. 19. ait: Non potest Filius à **SE IPSE** facere quicquam, nisi quid viderit Patrem facientem. Et Cap. XVI. 13. Non loquetur ( Spiritus S. ) à semetipso, sed quaecunque audiverit, loquetur v. 14. De meo accipiet & annuntiabit vobis. Scitè Augustinus Tr. XCIX. in Johannem; Non loquetur à semetipso, quia  
non

non est à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi scire est, scire verò esse. Quia ergò non est à semetipso, sed ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, qua nihil est aliud, quam scientia.

C. Denique & illud monent quidam Doctores, quòd licet omnia opera ad extra sint tribus personis communia, quandoque tamen specialiter creatio Patri, redemptio Filio, regeneratio & sanctificatio Spiritui S. tribuatur, non fecùs, ac si opera hæc cujusque personæ propria essent: quem modum loquendi Scholastici appropriationem vocant.

CI. Et sanè de creatione, regeneratione & sanctificatione certum est, quòd opera sint omnibus tribus personis communia. Dependent enim ab unâ & eadem potentia Divinâ, per quam cùm una persona operatur, necessario etiam reliquæ duæ simul operantur.

CII. Redemptionis autem dispar ratio esse videtur. Hæc enim cùm in assumptâ carne à Filio peracta sit, ipsi non ita ut Patri creatio, & Spiritui S. sanctificatio, per appropriationem tribui, sed ejus propria esse videtur.

CIII. Nec obstat, quòd opera ad extra indivisa, hoc est, toti Trinitati communia esse diximus. Id enim

enim intelligendum est de operibus, quæ & quatenus à potentiâ Divinâ effectivè dependent. *Redemptio* autem generis humani, etsi in ipsa quoque Pater & Spiritus S. suo modo operantur, tamen quantum ad ea, in quibus potissimum salutis nostræ reparatio consistit, & quæ in carne assumpta peragi debuerunt (ut sunt passio & mors Christi) formaliter non est opus, quod à Divinâ potentiâ efficienter dependeat, sed est passio & mors ab impiis Judæis Filio DEI illata, quæ non potest alii, quam secundæ personæ convenire, utpote quæ sola humanam naturam assumpsit, & in eâ assumptâ pati ac mori potuit.

CIV. Eodem modo res sese habet cum *incarnatione*, quæ alio respectu totius Trinitatis commune; & alio solius Filii proprium opus est. Nam in ea continetur i. massæ illius, ex qua formatum est corpus Christi, *purgatio à labe peccati*. 2. ipsius corporis *formatio*. 3. Ejusdem in *ὑπόστασις λόγου* *assumptio*: è quibus priora duo dubio procul effectus sunt potentia Divinæ, & propterea omnibus tribus personis rectè adscribuntur, non obstante, quòd *Matth. I. 18. 20.* peculiariter Spiritui S. approprientur. Tertium a. rursus considerari potest vel *in quantum est actio*, quâ humana natura est unitate cum *ὑπόστασις λόγου*: & sic dicendum est, quòd humana natura Christi eâdem potentia, qua producta est etiam cum

cum ἰσότησι λόγων unita sit, nempe potentiâ illâ infinitâ, quæ toti Trinitati communis est: Vel *in quantum est terminatio ultimata* humanæ naturæ in ἰσότησι λόγων: & sic ut ἰσότησις ipsa, ita etiam ultimata illa *terminatio* est solius secundæ personæ propria.

CV. Unde quicquid etiam in ipso *incarnationis* & *redemptionis* negotio Divinâ potentiâ effectum est, id omne, quatenus ab eâ dependet, rectè pro indiviso, seu trium personarum communi opere habetur: ut ita regula superiùs adducta universalis sit, & de omnibus operibus procedat, quæ DEUS *extra se* per potentiâ suam operatur.

*Ex tantum de hac materia.*

---

**T***etrica Posteritas, fatali vendita pomo  
De rebus fidei nil capit atque videt.  
Nempe Deo similem feri protervus anhelat  
Adam; pro præda lumina cæca tulit:  
Profecto tantis tenebris, quas Parrhasis Ursa  
Vix dat, cum Scythico cardine tardat iter.  
Atque, malum! plures, qui tantum noctis opacum  
Contemunt, neque se Sole carere vident.*

*Sors istis melior, queis mentem lumine claro  
 Verbi divini Spiritus irradiat.  
 Claret iis, & quòd Deus, ac quoque qualis Jova,  
 Quæ credenda dedit, quæ facienda velit.  
 Hos inter Weberia des non ultimus audit;  
 Dant de Trinuno Tmemata docta fidem.  
 Maacte animo tali! Patris sic gaudia comples;  
 Sic tandem Patriæ stella corusca clues.*

amico atque sincero ex affectu  
 b. o. e. deprop.

M. Elias Himmel.

**A**sfociare Deo tradunt nos Numina Turca  
 Judæique Deum ternâ cum voce notamus,  
 Atque simul genitor Natusque & Spiritus insons  
 A nobis colitur: Voces has evomit ore  
 Hostis uterque suo; num sacra volumina aperte,  
 Aut ratio doceat, tres ut credantur in uno?  
 Aut natura hominum jubeat nos tale rueri!  
 Ast errant miseri stygiâ caligine merfi,  
 Utpote Mosæum hinc cogit velamen, & illic  
 Nugæ cœcutire, suos queis ducit ad orcum  
 Persuafu faciles, malefanus præco Mohammed,

Sed



Sed duce *Musæo* sceptro qui fulget & ostro,  
 Hos aliosque doces errare, *Webere*, propago  
 De gener haudquaquam patris, monstrasque salutis  
 Ritè viam certam, quam quisque tenere beandus  
 Debet. Catholicus cœtus quam credidit olim.  
 Hoc precor, ingenii tua sedulitasque vigorque  
 Te perducatur, veniet cum justior ætas,  
 Quò Pater ipse tuus, vel quod sublimius exstat.

*Eruditiss. Dn. M. Resh.*

Fautori & commensali honorandi  
 gratulatur

**M. Joh. Frischmuth.**



Sed ducit M. J. S. p. d. n. i. g. e. r. & o. f. i. o.  
 Hos aliosque docet citare, & v. v. v. p. r. o. p. a. g. o.  
 De generi hand, p. d. u. a. n. p. a. r. t. i. s. i. n. o. f. f. i. c. i. s. l. a. n. t.  
 R. i. c. n. i. a. c. e. r. t. a. m. q. u. a. m. d. i. a. s. p. e. t. e. n. e. r. e. d. e. a. n. d. u. s.  
 D. e. b. e. t. C. a. t. h. o. l. i. c. u. s. c. o. r. a. m. d. u. a. m. c. r. e. d. i. d. i. t. o. r. i. a. m.  
 H. o. c. d. i. c. e. r. e. t. i. n. g. e. r. n. i. u. s. l. e. d. u. l. t. i. s. p. e. t. e. n. e. r. e. d. e. a. n. d. u. s.  
 T. e. p. e. r. d. u. c. t. u. r. e. o. s. v. e. n. i. e. t. u. m. i. n. f. i. o. r. e. t. a. s.  
 Q. u. o. p. a. t. e. r. i. p. s. e. t. a. m. v. e. l. p. r. o. d. u. c. t. u. r. e. t. a. s.

Praesentibus in M. J. S.  
 Patroni & commensali honorandi  
 gratiam  
 M. Joh. Gutschmid.



60  
80  
60  
40  
10  
200

04 A 65 16

ULB Halle  
002 933 25X  
3




f  
56

Hi. 89.







DE  
DEO TRINUNO  
THESES,

*Quas*  
ipsius auspicio

PRÆSIDE  
VIRO PLVRIMVM REVERENDO ET  
EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNE MVSÆO,  
SS. THEOL. D. ET IN ALMA HAC SALANA PP.  
VNIVERSITATIS h. t. RECTORE ET SVÆ  
FACVLT. DECANO,

DOMINO AC PRÆCEPTORE  
SVO ÆTATEM DEVENERANDO,

*placide ventilationi submittit*  
M. PAVLVS WEBERVS  
NORIMBERGENS.

Ad D. JANUAR. MDCXLVII.

J E N Æ,  
Typis PAVLI EHRICHII, 1713.